

AA-VIa 13

1879

79

13

HOMO-SIMIA.

AA-VI^c

13

HOMO-SIMIA.

ge

H O M O - S I M I A .

CARMEN ELEGIACUM

JOHANNIS VAN LEEUWEN HOLLANDI

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO
LAUDATUM.



AMSTELODAMI

APUD C. G. VAN DER POST.

MDCCCLXXIX.

BIBLIOTHEEK UNIVERSITEIT UTRECHT



3042 412 5

Silva domus quondam, cibus herba, cubilia frondes.
OVIDIUS.

Mirabar genus omnimodis cur simus ineptum :
 Gratia Darwinio, nunc scio quid sit homo.
Simius hirsutus, thalami cui simia consors,
 Humanae genitor gentis avusque fuit.
Quid quod adhuc liquide tali de stirpe creatos
 Nos e mille notis indiciisque patet?
Scilicet in terris, nisi dissimulemus aperta,
 Est homini similis bestia nulla magis ;
Nostro iudicio est aliquanto turpior illa,
 Sed fac posse loqui, forsitan ipsa neget.
Cum spatior, vacuus post pensa diurna, per hortum,
 (Gratior est nostra nullus in urbe locus),

Qui tot quadrupedes tot avesque pigrosque colubros
 Continet et, Nereu, de grege monstra tuo,
Saepius ad caveam vado redeoque, propinquis
 Quae minus est carcer quam domus apta meis.
Dum specto, videor notos agnoscere vultus
 Oraque saepe mihi cernere visa prius;
Quin etiam in caris est unus et alter amicis,
 Quos animo malle non subiisse meo.
Ut iuvat illarum cursusque fugasque tueri!
 Cur adeo satagant me tamen usque latet;
Interea rixis teneros dum miscet amores,
 Ringitur hirta cohors laetaque sorte sua est.
Talis homo: frustra sic se plerumque fatigat,
 Nec tamen idcirco displicet ipse sibi;
Adspice quisquis ades, tua se tibi monstrat imago;
 Caudam cum villis excipe: talis homo.
Fructum simiolo dederam, cum, pro scelus! ecce
 Occupat et comedit simia magna cibum:
Increpito, sed enim paribus mihi furibus orto
 Sit pudor in patres dicere probra meos.
Dedidicere quidem praedis inhiare nepotes,
 Fratribus et panem praeripuisse suis;

Sed tamen in nobis aliquid nemorale remansit;
Quod fuimus, quadam nunc quoque parte sumus.
Hinc est, fortunas humiles spernentibus, alte
Surgere quod nobis tantus inhaeret amor;
Ut proavis summos in silva scandere ramos
Ambitio quondam curaque prima fuit.
Proelia credibile est illos gessisse frequenter:
At proli studium, qui dubitemus? idem.
Humani generis, si tanti, consule fastos:
Quolibet in folio bella cruenta leges.
Gaudebam nuper finem quod atrocis haberet,
Denique composito foedere, Martis opus;
Ast Europaeis nondum Concordia risit
Gentibus, et lites pax parit ipsa novas.
Esse quid hoc dicam, nisi quod sit simia pugnax,
Progeniesque animi moribus aequet avos?
Cur imitatores pueri sint, quaerere mittat
Quisquis novit homo traxerit unde genus.
Filius exemplo studiose patris adhaeret;
Ducitur exemplis non pater ipse minus.
Nec tantum praeclara sequi pars maxima curat:
Fallor an imprimis deteriora placent?

Culpa trahit culpam, lis litem; sit scelus atrum
Admissum, sceleris fiet origo novi.
Perdidit hunc iuvenem quod Bacchi munera quosdam
Vidit amicorum poscere saepe nimis.
Non emtas gereret tanti Cornelia vestes,
Si modo simplicius Marcia culta foret.
Uxorem si quis duxit grandaevus amator,
Non dubium, senior mox procus alter erit.
Quid circumspicio atque aliena recenseo facta?
En, propior nullus quo mihi, testis adest.
Ille ego, cui veteres imitari cura poëtas,
Sublego dum Latiae verba modosque lyrae,
Sollicitis pedibus tua dum vestigia, Naso,
(Saepe licet titubans) Virgiliique premo,
Naturam prodo ingenitam, maioribus et sum
Nequaquam soboles inficianda meis.
Cur pudeat? Vobis modo ne sit causa pudoris,
Ausonii vates, simia vestra, bene est.

TYPIS DE ROEVER-KBÖBER-BAKELS. — AMSTELODAMI.

